

Erdmann Rudolph Fischer

**Obscuratam Ad Huc Quodammodo Johannis Latermanni, Coburgo-Franci,
Famosi Magi ... Memoriam Renovat, Et, In Inauguratione Novi Illustris Nostri
Gymnasii Casimiriani Directoris, Viri ... M. Erhardi Andreeae Frommanni ... die VIII
Martii A. MDCCLXII Instituenda, De Vita, Fatis Et Scriptis Eius Strictim Exponit**

Coburgi: Officina Findeiseniana, 1762

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn83195213X>

Druck Freier  Zugang





a. B.
48. b. H.

66


479

Fa-1092(66.)

1. Baus de regendis limitibus ecclesie
 textus Habraici.
 2. Cotta de varia theologia propositum
 dogmaticam tradendi ratione.
 3. Cotta de recta theologiae dogmaticae
 conformatio.
 4. Ernesti de Iacobae et Iosephi in mor-
 te Herodis Agrippae confessu.
 5. Franz de coelibatu ecclesiastico speci-
 meum primum. et c.
 6. Hofmannus. Num angeli boni corpora
 hominum interdum offideant?
 7. Hofmannus celeritatem conversionis ho-
 minum insigne efficaciae verbi diuinioris
 argumentum brevibus persequitur et c.
 8. Keschub prouidentiam Dei circa res
 singulares demonstrat ac partim vindi-
 cat.
 9. Labes de efficacia sacrae scripturae super
 naturali.
 10. Nagelius. de factis quibusdam Iacobi Pa-
 triarchae illustribus, secundum ius naturale
 consideratis.
 11. Ernesti de difficultate interpretationis gram-
 matice nomi Testamenti.
 12. Mitterzwey. disputatio antiblanchiana.
 13. Ernesti de origine interpretationis librorum
 sive grammaticae auctore.
 14. Ernesti specimen castigationum in Wissle-
 mi editionem N. Testamenti.
 15. Goedelein de dono spiritus sancti, ad epi-
 scopi ministerium habe allegato. com: I.
 16. Goessig. deß ein Katholischs Liederbuch in ge-
 und and von Rommelsbachs Psalms psalmi
 Melodien zu den neuen, nicht bessig! Zug.
17. Michaelis de variis lectionibus N. Testamenti
 caute colligendis et diuidendis et c.
 18. Van: Griff. Diversitatis Lectorum, das die Sandtagung
 füßt die sevorbauen in das psangolischen Käfe niffs
 variis et c. pag.
 19. Lectorum, das unter dem in großer Thuringia
 bis Judas Iscariots sevorbauen linga.
 20. Lectorum non dom usque Petrus Galan. Ideo quoniam
 Lectorum sevorbauen Riu. Iean.
 21. Boyßen acta inter s: Ippianum et Iephah-
 num in disceptatione de haereticis baptizandis
 collecto, vindicata ac animadversionibus pess: illuf:
 22. Gottschedii initiatio ad memoriam Philippi
 Melanchthonis publice recitendam.
 23. Franc: Albert. Iepinus de modis quadri-
 nationis Paulinae, per exegesim dicti 1 Corin.
 II. 4. s.
 24. Huthii Petrus, non Petra.
 25. Burgmannus de Iudeis corda coniunctis.
 26. Fischer de vita, fatis et scriptis Petermanni.
 27. Burgmannus de non consummatis patribus
 V.T. ad dictum Pauli in ipf: ad Hebr. XI. 39. 40.
 28. Handlung de calculo in glandulis subtilia
 qualibus reperio.
 29. Dagge de bonis operibus, num et quatenus
 signa solitus dici possit?
 30. Meyer de Pontificis Leonis X. praecellsum
 aduersus Lutherum in probantibus, et quaenam
 tam Pontificis Regis ratio B. Lutheri, ipf:
 non differtibus, profuerit?
 31. Si Creelen de rebus suis sabbathicis ex
 antiquitate et c.
 32. Wuestemannus de natura methodi mathe-
 maticae, eiusq; usq; in Philosophia ac The-
 ologia.
 33. Zorbariae Christum Ηγωνοτορον confi-
 derandum sicut, et c.

OBSCVRATAM
AD HVC QVODAMMODO
IOHANNIS LATERMANNI,
COBVRGO - FRANCI,
FAMOSI MAGIS OB DOCTRINAЕ ET MORVM COR-
RVPTELAS, QVAM FAMIGERATI IN ECCLESIA
NOSTRA THEOLOGIAE DOCTORIS,
MEMORIAM
RENOVAT,
ET,
IN INVVRATIONE
NOVI ILLVSTRIS NOSTRI GYMNASII
CASIMIRIANI DIRECTORIS,
VIRI
MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI
ET DOCTISSIMI,
M. ERHARDI ANDREAE
FROMMANNI,
GYMNASI NOSTRI ADHVC LINGV. ORIENTAL.
ET GRAECAE PROFESSORIS ET PAEDA-
GOIARCHAE OPTIME MERITI,
DIE VIII MARTII A. C¹⁵I⁵CCLXII
INSTITVENDA,
DE VITA, FATIS ET SCRIPTIS EIVS
STRICTIM EXPOSIT
ERDMANNVS RVDOLPHVS FISCHER,
SER. DVCIS SAX. COBVRGO - Salfeldensis in CONSISTORIO
CONSILIARIVS, ECCLES. DVCATVS COBVRG. EPHORVS GEN.
SCHOLARCHA, THEOL. PROF. PRIM. ET AD
D. MAVR. PASTOR.

COBVRGI
EX OFFICINA FINDEISENIANA.



CONSPPECTVS
TOTIVS COMMENTATIONIS
DE

IOHANNE LATERMANNO.

1. Doctorum quorundam Coburgensium nomenclatura. 2. Quo iure iis Iohannes Latermannus accenseatur: annus et locus eius natalis. 3. Parentes eius 4. Studia Scholastica. 5. S...dia Academica. 6. Interest colloquio Thorunienſi. 7. Proficisciſtur Gedanum ac Regiomontum, et fit ciuis Academicus. 8. Conciu-natur Regiomonti et disputat de praedefinitione. 9. Motus hac disputatione excitati, 10. Latermannus fit diaconus Regiomontanus. 11. Professor theologiae extraordinarius, et summos in theologia honores adipisciſtur. 12. Disputat pree-ses Regimonti et inchoat preelectiones publicas. 13. Libellus famosus contra Latermannum. 14. Qui edit disquisitionem de gratia et libero hominis arbitrio. 15. Errores ipſi exprobrati et eius apologia. 16. Scripta pro Latermanno et con-tra eum. 17. Admouetur ad munus sacrum Halberstadii et ab eo amouetur moritur. 18. Matrimonium eius. 19. Iudicia de Latermanno. 20. Scripta eius. 21. Praefentis instituti indicium.

I.

Fertilem doctorum virorum matrem Coburgum vrbem et ducatum Coburgensem nostra et superiore aetate fuisse, historiae literariae gnaros non fugit. Superioris aetatis seu seculi XVII. doctrina et scriptis claris, quos vrbs nostra et ager protulit, suo iure annumeramus *Nicolaum Hugoneum*: *Andream Keslerum*: *Iohannem Christophorum Seldium*: theologiae Doctores et praefules Coburgenses: *Iohannem Reinhardum*, theologiae Doctorem et antistitem Hildburghusanum: *Mihaelem Ludouici*, consiliarium tandem regium et ecclesiasticum, Superintendentem et pastorem Wismariensem: *Andream Frommannum*, Gymnasii nostri Directorem, duosque eius filios, *Iohannem Christianum From-mannum*, Medicinae Doctorem et Physices apud nos Professo-rem, et *Iohannem Andream Frommannum*, iuris Doctorem et Professorem Tübingensem: *Iohannem Fabrum*, Superintendentem Eisfeldensem, et *Iohannem Fabrum*, Ecclesiasten auli

A

cum

cum Coburgensem et Consistorii assessorem: *Georgium Schubartum*, professorem Ienensem: *Christophorum Nothnagelium*, Professorem Vitembergensem: *Iohannem Spindlerum*: *Iohannem Christophorum Kohlhansum*: *Iohannem Woelfingium*: *Iohannem Henricum Hagelgansum*: professores Coburgenses: *Christophorum Günzelium*, iuris Doctorem et professorem Coburgensem: *Georgium Pfrüfcherum*, Archidiaconum Coburgensem: *M. Casparem Rephanium*, praefulem Isenensem: *Iohannem Dilgerum*: *Philippum et Iohannem Philippum Eschenbachium*: *Iohannem Krugium*: *Iohannem Fischerum*: diaconos Coburgenses. Nostram aetatem seu seculum XVIII. doctrina sua et scriptis illustrarunt *Christianus Ludouicus Crellius*, professor Lipsiensis: *Iohannes Philippus Treunerus*, theologiae Doctor et praeful Vinariensis: *Iohannes Fridericus Grunerus*, Archidiaconus Coburgensis: *Georgius Paulus Hoennius*, iuris Doctor, Consiliarius et praefectus Coburgensis: *Albertus Meno Verpoortenius*, theologiae Doctor, Pastor et Rector Gedanensis: *Philippus Theodorus Verpoortenius*, theologiae Licentiatus et professor Coburgensis: *Iohannes Burckardus Verpoortenius*, iuris Doctor et Consiliarius regiminis Megapolitani intimus: *Iohannes Daniel Giblein*, iuris Doctor, Consiliarius et Paedagogiarcha in nostro Athenaeo: *Iohannes Conradus Schwarzius*, theologiae Doctor et Gymnasii nostri Director: *Erhardus Reuschius*, professor Helmstadiensis: *Fridericus Hannibal Stempel*, professor Goettingensis: *Iohannes Schuffner*: *Iohannes Michael Fischer*: verbi diuini ministri Coburgenses: *Iohannes Christophorus Schubartus*, professor Coburgensis: *Iohannes Fridericus Grunerus*, iuris Doctor et Consiliarius aulae Sax. Cob. intimus: *Christophorus Ludouicus Wiener*, bibliothecarius Goettwicensis: *Iohannes Tobias Hagelgansius*, secretarius Darmstadinus: *Elias Martinus Eyringius*, Superintendens Rodachiensis: *Iohannes Christianus Thomae*, Rector Neostadiensis: *Augustus Bernhardus Frommannus*, pastor Wiesenfeldensis: *Georgius Fridericus Gernhardus*, diaconus Coburgensis:

sis: *Wolfgangus Henricus Fridericus Pertsch*, Archidiaconus Coburgensis: *Iohannes Fridericus Christius*, professor Lipsiensis: *Erhardus Iohannes Brumhardus*, diaconus Ienensis: *Iohannes Sebastianus Brumhardus*, magister philosophiae legens Ienensis: quos omnes iam defunctos claris Coburgensibus accensendos esse, dubio caret.

II. IOHANNIS LATERMANNI memoriam neque *Henningus Wittenius* in memoriis theologorum superioris seculi clarissimorum renouatis, neque *Henricus Pippingius* in continuatis his memoriis, neque *Georgius Henricus Goetzius* in Elogiis Germanorum theologorum asseruarunt. Nec alibi tantum de eo literarum monumentis iusto ordine consignatum esse noui, quantum lectoribus fatorum eius cognoscendorum cupidis sufficit. Quamuis vero IOHANNIS LATERMANNI nomen in ecclesia orthodoxa quodammodo foeteat, illeque sui memoriam reliquerit satis infamem; non ingratum tamen multis, ciuibus saltem nostris, accidet, si de vita et fatis eius paullo plenius exposuero. Se ipse semper Coburgo-Francum appellat. Neque vero Coburgi, sed *Gellershusae*, pago tum temporis ad ducatum Coburgensem, nunc Hildburghusanum, et quidem praefecturam Heldburgensem pertinente, anno cl^o l^c xx die secundo mensis Iulii in lucem editus est, quem die quarto huius mensis cognatum eius, *Iohannem Latermannum*, Serenissimi Saxoniae Ducis, Iohannis Casimiri, a consiliis intimis, e sacro baptismatis fonte suscepisse, diptycha ecclesiae Gellershusanae testantur.

III. Pater ei obtigit M. WOLFGANGVS LATERMANNVS, mater MARGARETA LEOPOLDIA. Pater quidem Quedlinburgi a) anno cl^o l^c lxxxv die XXVII mensis Decembris natus esse fertur, parente, vt videtur, *Iohanne Latermano*, qui pastor ad D. Wiperti Quedlinburgi anno cl^o l^c c^v factus
A 2

a) Vocatur Quedlinburgensis in Catalogo Ordinatorum, quem Diptycha Coburgensia anni cl^o l^c c^{xiii} exhibent.

factus anno c^{lo} l^c xvii diem suum obiit b). Wolfgangus Latermannus autem scholae Eisfeldensis Rector, anno c^{lo} l^c xii constitutus, praeside D. IOHANNE GERHARDO, de vera et indubitata Christi Iesu domini ac mediatoris nostri aeterna diuinitate, Coburgi anno c^{lo} l^c xiii die XXVIII et XXIX mensis Maii disputauit. Eodem anno die XXI Decembris Coburgi ad ministerium ecclesiasticum inaugurus pastor Gellershusanus euasit, a D. Iohanne Gerhardo, Superintendente Heldburgensi, anno c^{lo} l^c xiv Dominica IV post Epiphanias inuestitus. Quo anno concionem funebrem Elisabethae Volckin habitam typis exscribi curauit. Quum anno c^{lo} l^c xvii primum festum iubilaetum in ecclesia Euangelica celebraretur, disputationem de legitima ministrorum ecclesiae, et in specie quidem Megalandri tum ad opus ministerii ordinarium, tum ad munus reformationis vere heroicum, eiusdemque successorum in officio ecclesiastico diuina vocatione Coburgi sub praesidio D. CASPARIS FINCKII, praesulis Coburgensis, defendit. Habita Dominica XV post Trinitatis, anno c^{lo} l^c xxxii Roemhildae concione δοκιμασιῶν, Pastoris et Superintendentis munus ibidem ei est demandatum. Quumque Serenissimae Margaretae, Iohannis Casimiri, Ducis Saxoniae, viduae, sedes Roemhildae esset assignata, illa nouum Superintendentem simul a concionibus aulicis et confessionibus sibi esse voluit. Verum, vix biennium hoc munere functus, ob altercationes et discordias, quas cum praefecto, senatu et collegis exercebat, ante eas finitas, furtim stationem suam anno c^{lo} l^c xxxiv deseruit c). Reuersus igitur in patriam Quedlinburgi primum diaconus ad S. Nicolai, deinde anno c^{lo} l^c xxxviii pastor ad S. Blasii designatus est d).

IV. Decem liberos Wolfgangus Latermannus Gellershafae procreauit, et inter hos tres filios, in quibus Iohannes primo

loco

b) v. Frid. Ern. Kettner's Kirchen- und Reformations-Historie des Stifts Quedlinburg, p. 227, 231.

c) v. Joh. Casp. Wenzels Kirchen- und Schul-Historie der Stadt Nömhild p. 21 sqq.

d) v. Kettner l. c. p. 226, 229.

loco natus erat. Eum igitur, velut alterum Samuelem, parentes Deo et ecclesiae consecrarunt. Ut igitur propositum suum assequerentur, hunc suum filium, quam primum per aetatem licuit, optimis praceptoribus in disciplinam tradiderunt, ut teneram eius mentem studiis formarent. Prima literarum fundamenta in schola tritiali Heldburgensi iecit. Nec dubium est, quin Scholam quoque Roemhildensem frequentauerit. Telam studiorum, quam in Franconia feliciter exorsus erat, Quedlinburgi, quo parens redierat, et, vbi pastoris munus obibat, pertexuit. Postquam Deus Franconiae halcyonia quae-dam concesserat, patriae dulcedine allactus, eandem repetiit et Suinfurtum abiit, fidelis M. Iohannis Sigfridi, scholae Suinfur-tensis Correctoris ac Gymnasii ibidem Professoris, informatio-ne per integrum triennium, et quod excurrit, ita usus, ut studia illi aetati congruentia maturitatem suam assequerentur e).

V. Itaque matus studiis academicis anno 1610 cXL die XXIII. Septembris in Academiam Iuliam se contulit, Christo-phoro Schradero, Eloquentiae Professori Publico, Prorectore, in numerum ciuium Academicorum receptus. Quo facto per integrum quadriennium Philosophiae, Theologiae ancillanti, sedulam operam dedit, ita tamen, ut theologiae studium prae-cipuus ei scopus esset. Ut autem, quos in Philosophia fecisset progressus, et aliis innotesceret, anno 1610 cXLIII. die III. Ianuarii ab Henrico Iulio Scheurlio, Moralium et Ciuilium Professori, ordinis sui tum Decano, cum septem aliis Philosophiae Can-didatis, magister philosophiae ritu solenni est renunciatus. Quibus honoribus auctus anno 1610 cXLV die Martii disputationem *Metaphysicam de essentia, existentia et subsistentia* prae-ses habuit. Animus tamen theologiae vnice applicuit, D. Georgio Calixto et D. Conrado Horneio, professoribus theolo-giae in Academia Iulia celeberrimis, sed *merito suspectis*, ducibus usus. Quumque Conradi Horneii conui-

A 3 ctor

e) v. Programma, quo Decanus facultatis theologiae Rostochiensis, D. Ioh. Corb-mannus, ad disputationem solennem Ioh. Latermanni a. 1646 inuitauit p. 3. sq.

ctor esset, quotidiana, quam cum eo habebat, consuetudo multum ad augendam eruditionem eius theologicam contulit. Ut autem publica progressum eius in theologia extarent specimina, *disputationem de fide et bonis operibus* anno clo 10 c XLIII conscripsit, eamque praeside hospite suo, *Conrado Horneio*, publice exhibuit. Quam quum Serenissimis ducibus Brunsvicensibus, *Augusto et Christiano Ludouico*, inscripsisset, grande studiorum suorum adminiculum a *Christiano Ludouico* obtinuit. Generosus quoque et nobilissimus Iosias a *Beldheim*, Haereditarius in *Harbke* et *Ostraw*, suppeditato Latermanno per integrum sexennium stipendio, studia eius multum promouit f). Biennio post aliam *exercitationem theologicam de sanctissimo Trinitatis mysterio contra Socinianos* proprio marte denuo elaboratam sub praesidio *Georgii Calixti*, anno clo 10 c XLV publice ad disputandum proposuit. Duabus his in Academia Iulia conscriptis a se et propositis disputationibus Iohannes Latermannus, praceptorum suorum vestigiis insistens, animum nouandae fanae doctrinae cupidum prodidit ac primas in ecclesia turbas dedit. Quemadmodum enim in priore disputatione bonorum operum ad salutem necessitatem afferuit; ita in posteriore mysterium trinitatis in vetere testamento satis perspicue reuelatum et creditu necessarium fuisse negauit g). Quae φορτία in ecclesia orthodoxa ανθεμάτα erant, a praefidibus quoque disputationum propugnata, ideoque a *Wilhelmo Lysero*, *Iohanne Hülsemanno* et *Abrahamo Calouio* in primis impugnata.

VI. Quum in eo esset Latermannus, ut Academia Helmstadiensi discederet, in qua integrum prope quinquennium versatus erat, et laudem diligentis non minus, quam probi ciuis sibi acquisivierat; Vladislaus IV. Poloniae rex, suasu Bartholomaei Nigrini, apostatae, anno clo 10 c XLV colloquium charituum

f) vide Programma alleg. p. 2 sq.

g) v. JOHANNIS MICRAELII Historia Ecclesiastica p. 1208 sq. ABR. CALOVIE Historia Syncretistica p. 574. Joh. Georg Walchs Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der evangelisch-lutherischen Kirche P. I. p. 234. P. IV. p. 750.

tiuum inter Pontificios, Lutheranos et Reformatos Thorunii
Borussiae indixerat b). Quod quum audiret Latermannus et
intelligeret, multos magnosque omnium partium theologos
ibi in congressum et colloquium venturos, mira eum Thoru-
nium abeundi cupiditas incessit. Sumptuum quidem in hoc
iter et commorationem Thoruniensem faciendorum magnitu-
do obstare videbatur. Accedebat magnorum quorundam
virorum auctoritas, qui salutarem ecclesiae nostrae euentum
huius colloquii desperabant, adeoque dissuasores itineris Tho-
runiensis Latermanno erant. Ille vero a proposito suo tanto-
rum virorum dissuasione deterrei non poterat, sed singulari
quodam instinctu ire Thorunium ferebatur. Quum igitur
celissima princeps, ANNA SOPHIA, vidua Brunsuicensis, quae
Schoeningae habitabat, lauto viatico eum instruxisset et literis
commendatitiis ad Serenissimum Electorem Brandenburgicum,
FRIDERICVM GVLIELMVM M. dimisisset; Thorunium
perrexit, et iter non solum suis sumptibus confecit, verum et
iam Thorunii toto illo tempore, quod colloquio destinatum
erat, gratis vixit. Occasionem itaque nactus cum summis
omnium partium theologis de controv ersis doctrinae Christia-
nae capitibus sermonem conferendi, in primis D. Iohanni Ber-
gio, concionatori Electoris Brandenburgici aulico et theologis
Regiomontanis, qui colloquio intererant, Leuino Pouckenio,
Michaeli Behmio et Christiano Dreiero innotuit i).

VII. Finito fine fructu colloquio Thoruniensi mense
Nouembre anni cōlōc XLV Thorunio in patriam redire, plu-
resque Germaniae Academias inuisere animum Latermannus
induxerat. Sed praeter spem accidit, ut florentissimam Gedan-
nensem rempublicam videndi occasio se ei offerret. Quo
quum venisset, Academiam Regiomontanam, non procul in-
de distantem, videndi desiderio flagrans, cum redeuntibus

theo-

b) De quo vide Sagittarinnae *Introductionis in Hist. Eccl. Tom. II.* p. 1592. sqq.

CALOVIVS 1. c. lib. III. cap. III. p. 199. sqq.

i) v. Programma cit. p. 3. 4. Christoph Hartknoch's *Preussische Kirchenhistorie* lib.
2. cap. 10. §. 2. p. 604. sq.

theologis Regiomontanis et Iohanne Bergio, eo perrexit, non quidem hac mente, vt ibi maneret, sed Academiae statum cognosceret. Cognito vero Academiae Regiomontanae statu satis florido, ibi aliquantisper commorari decreuit *k*), et hoc ipso anno nomen suum in ciibus Academicis professus est *l*).

VIII. Ciuem Academiae Regiomontanae facum D. *Iohannes Behmius*, facultatis theologicae professor primarius et senior, in ipso statim accessu singulari benevolentia amplexus est, eique potestatem e cathedra ecclesiastica sermones sacros habendi fecit. Postquam igitur semel atque iterum populum e cathedra ecclesiastica publice, non sine auditorum applausu, docuit; accidit, vt Serenissimus Elector Brandenburgicus, *Friedericus Guilielmus*, concionibus eius, in arce Regiomontana habitis, saepius interesset. Pristina igitur eius clementia, qua ante triennium Schoeningae Latermannum prosecutus erat, vbi iubente Serenissima vidua Brunsuicensi, praefente Electore, concionatus fuerat, non solum erga illum renouata, sed et mirum in modum aucta fuit. Quo facto amici quoque Electoris eum cognitum fauore suo dignum iudicarunt. Et Latermannus quidem Regiomonti sic se gessit, vt non esset, cur quisquam de eo conquereretur. Ut autem ciibus quoque Academiae innotesceret, qualis esset, et maiore cum fructu collegia theologica institueret, prolixam *de aeterna Dei praedestinatione et ordinata omnes saluandi voluntate exercitationem* anno clo l o c XLVI conscripsit, eamque sub praesidio *Iohannis Behmii*, theologiae Doctoris et professoris, in grauissimorum virorum confessu publice habuit *m*).

IX. Quae exercitatio quum magnas Regiomonti et in ecclesia nostra motus fecerit, pluribus de ea agere placet. Zbygnevo Goraiski de Gorai, Castellano Chelmensi et senatori regni Poloniae,

k) v. Progr. cit. p. 4.

l) v. Erleuterter Preussin Tom. 4. p. 327. vbi doctis et claris viris, quorum nomina matriculae Regiomontanae inscripta sunt anno 1645. annumeratur M. *Iohannes Latermannus*.

m) v. Programma aliquoties allegatum p. 4. 5. Hartknoch l. c. p. 605.

niae, eam dedicauit Latermannus, quem, sacris Reformatorum
addictum, a rerum theologicarum scientia, prudentia et animi
moderatione, in colloquio Thoruniensi spectata, commendat.
Censura decani facultatis theologicae, D. *Christiani Dreieri*,
haec disputatio approbata typis exscripta die IX Martii dicti
anni in cathedram proferenda erat. Quum autem eo ipso
tempore de munere diaconi in vetere oppido Regiomontano
Latermanno demandando deliberaretur, et iam in eo esset, ut
ad concionem δοκιμασμὸν admitteretur; D. *Coelestinus Mislen*ta,
Professor theologiae et Pastor Kneiphofiensis, huic negotio in-
tercessit, disputationem Latermannii haeresium et damnatorum
errorum accusans. Qua in re Misleniae M. *Martinus Wolde-
rus*, veteris oppidi pastor, adstipulabatur. Habendae dispu-
tationi Latermanniana dies XXII Martii assignatus est. Mislen-
tam Latermannus ad opponendum ea, quia par erat, modestia
inuitauit. Qui benigne ab eo exceptus, nullius erroris coram
insimulatus et optimis tandem verbis dimissus bene de exopta-
to exitu sperauit. Spes autem eum fefellit. Mislenia enim
opponentium subsellia occupans disputationem Latermannii
multorum, magnorumque errorum, insigni animi ardore, insi-
mulauit et indignam pronunciauit, quae ad publicam cathe-
dram admitteretur. Ad quam incusationem Latermannus
quoque minus leniter et placide respondit. Quumque For-
mula Concordiae ei opponeretur, satis fastidiose dixit: *Quid
mihi cum Formula Concordiae?* Praeses igitur disputationis,
D. *Iohannes Behnius*, animos disputantium vehementer irrita-
tos cernens, filum contentionis abruptit, nouam disputationis
ventilationem pollicitus. Latermannus tamen sic disputationi
esse scribit, ut a plurimis innocentiae laudem reportarit. Quum
igitur ad iterandam disputationem dies XIII Aprilis destinatus
esset, Latermannus Electorem suum supplex rogauit, ut lega-
tos, Confessioni Lutheranae addictos, mitteret, quibus praesen-
tibus denuo disputaretur. Petenti adnuit indulgentia princi-
pis, et magnum Borussiae Cancellarium, supremum dicasterii

B

aulici

aulici praesidem et primarium eiusdem assessorem misit, quibus adsidentibus, iudice Latermanno, ita disputatum fuit, ut ipsi legati principis innocentiae laudem ipsi haut obscure tribuerent. Aequi autem rei iudices frustra disceptatum fuisse loquuntur. Animi enim vtriusque partis ita exacerbati dicuntur, ut leges ordine et sedate disputantium transilierint. Cuiusnam autem culpa hoc factum sit, varie relatum legimus. Latermannus, et qui cum eo aduersus Mislentam steterunt, animi impotentiam Mislentae exprobrarunt, qua factum sit, ut non solum Latermanno, verum etiam toti facultati theologicae varios, eosque graues errores imputauerit, cunctosque auditores admonuerit, ut sibi ab his erroribus cauerent. D. Mislena quidem non diffessus est, se acrimonia quadam in re tam seria usum fuisse ex iusto erga veritatem Zelo: nihil tamen contra modestiam et humanitatem designasse, quum his tantum usus sit formalibus: Quae disputatio fauet Caluinianorum, Pontificiorum et Synergistarum dogmati, ea merito a publica Cathedra arcenda fuisse. Quod ad imputatum Latermanno synergisticum errorem attinet, Latermannus mentem suam sensu prorsus synergistico explicauit, statuendo voluntatem humanam, gratia spiritus sancti praeueniente excitatam, in progressu suae conuersonis libere sese habere ad se conuertendum, vel non conuertendum, adeoque spiritui sancto cooperari in actu conuersonis suae primae. Eandem erroneam sententiam in restaurato disputationis actu mordicus et obstinate propugnauit Latermannus, prouocando simul ad testimonia sua opinione ομόψηφα Chemnitii et Formulae Concordiae, quae sublesta fide contra mentem Chemnitii et Formulae Concordiae non sine taediofa prolixitate et auditorii molestia recitauit et allegauit, nec explicationem Mislentae, sensum genuinum de statu hominis iam conuersi ex Formula Concordiae et Chemnitii Examine Concilii Tridentini vrgentis, admittere audireque voluit, sed impudenter ei obloquendo ac stentorea voce obstrependo in pertinaci suo errore perstigit. Cui errori applausum suum dedere

Pro-

Professores theologiae extraordinarii penes praesidem, hocque
pacto respondentem ad propugnandos suos errores animosio-
rem et audaciorem reddidere, ita ut posthac non tam argu-
mentis, quam conuitiis et iniuriosis verbis, quibus Mislenta vn-
diquaque obruebatur, certatum sit ab antagonistis Misleniae.
Michael Behmius certe non solum manibus, nunc expansis, nunc
decussatis, verum etiam detracta de capite mitra indicia sugges-
tit Latermanno conuitia in Misleniam et iniurias affatim egeren-
di, eumque verborum strepitu obtundendi, atque ita auditorio
instar histrionis et scenici spectaculum pudendum exhibuit, se-
cum demurmurando, man sollte ihm, dem Misleniae, besser auf die
Wolle greifen. Imo non erubuit Behmius iunior ad retorsiones,
quas vocant, descendere, et germanicis verbis in Misleniam
debacchari: Herr Doctor, er mag so lang, weil er lebet, ein Syner-
gist bleiben, weil er meinen Herrn Vater dafür gehalten. Ad quae
Mislenta nihil respondit, nisi pro farna sua conseruanda sequen-
tia: Haec ego tibi in finum tuum retorqueo. Könnt ihr auch
deutsch reden? Mislenta ceu testes ad hunc actum disputatorium
secum adduxerat *M. Martinum Wolderum*, pastorem Palaeo-
politanum et Consistorii Sambiensis Assessorem, et *Georgium*
Colbium, diaconum Kneiphofianum, viros in rebus theologicis
probe versatos, rogans praesidem, ut sententiam ipsorum quo-
que exposceret, et dicendi copiam, praeuia inuitatione, ipsis
concederet; Antagonistae autem omnes quatuor in hos clamores
erupere: *Audiamus etiam diaconalem sapientiam.* Nos
sumus Facultas, penes nos est potestas inter verum et falsum
discernendi, et nos aliquid intelligimus, quam aliis extra Facul-
tatem nullatenus concedimus. Praeses disputationis Laterman-
niana, *Iohannes Behmius*, publice quidem pro cathedra fateri
coactus est, se disputationem Latermanni, sibi oblatam, non per-
legisse, n) sed filio suo, Michaeli Behmio, legendam tradidisse,

B 2

vt

n) Quod tamen postea negavit. v. Hartknoch I. c. §. 8. p. 614. Ipse Behmius in
allocutione ad cultores theologiae, subnexa iudicio Mart. Chemnitii de con-
trouersia Pelagiana, a Behmio edito, scribit, se Deum suamque conscientiam
coram

vt ea reuisa Decano ad subscribendum offerreretur; et tamen, turpi negligentia, nescius errorum, quibus ea scatebat, palliare illos allaborauit. Imo sub abruptae disputationis finem veteranum hunc theologum non puduit, Mislentam incusare, ea, quae monuerit, ex intemperie affectuum et fastu papali profecta esse, eum sibi persuadere, se esse papam Borussicum. Imo animi impotentia abreptus eo dementiae senex hic processit, vt atrocissimis et theologo indignis verbis in Mislentam invehernetur, lingua vernacula dicens: Es seyn ein Stück von der Hoffart: GÖttes Sacrament: der Teufel mag mit euch zuthun haben und umgehen. Tantum malorum Latermannii disputatio erro-neae doctrinae merito suspecta procreauit, et pacatum Academiae Regiomontanae statum prorsus turbauit. Postquam igitur disputando nihil profecerant; ad iudicium exterarum Academiarum et Ministeriorum D. Mislenta prouocauit, quod consilium D. Iohanni Behmio quoque, filio eius, Dreiero et Latermanno placuit, qui putarunt, hac ratione controversiam exortam facililime dirimi posse o). Ceterum haec disputatio Halberstadtii anno clo lō c XLVII recusa est.

X. Post has turbas veteris oppidi ciues Electori supplices literas obtulerunt, eumque rogarunt, vt Latermannum ipfis diaconum daret. Missi igitur sunt legati, et Martinus Wolderus, qui Latermannum in numerum collegarum adsciscere recusabat, coram iis comparere et errorum, quorum Latermannum accusabat, eum conuincere iussus est. Ille autem comparere

perti-

coram toto orbe testari, quod disputationem hanc, antequam excuderetur, diligentissime perlegerit, ita quidem, vt nullam paginam praetermisserit, in qua non lineas quasdam subduxerit. Mislenta autem et Ministerium Tripolitanum ad totum auditorium lac in re prouocarunt, ex afferuerunt, mille et amplius studiosos hoc ex ore Behmii audiuisse. v. Hartknoch l. c. §. 8. p. 615.

o) v. Hartknochs Preussische Kirchen-Historie lib. 2. cap. 10. §. 2. 3. 8. Walch's Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der evangelisch-lutherischen Kirchen P. I. cap. 4. p. 245. sq. et insprimis Literae ministerii Regii montis Tripolitani exaratae ad collegia theologica in Academiis et ministeriis, ex quibus totam hanc narrationem deponimus. Addatur IOH. LATERMANNI Disquisitio theologica de gratia et libero hominis arbitrio in dedicatione.

pertinaciter detrectauit, nec, a legatis per secretarium Consistorii obsequii supremo magistratui debiti admonitus adduci potuit, ut accederet. Misit autem tandem chartam, in qua septem errores consignauerat, quorum Latermannum insimulauit. Qui quum a facultatis theologicae seniore, Iohanne Behmio, praelecti essent, Latermannus, sententiam suam rogatus, sic se declarasse fertur, ut communibus omnium legatorum suffragiis innocens iudicaretur. Quod quuni ciues, qui Latermannum exoptabant, inaudiuisserint, et, ob ordinis theologici testimonium, de orthodoxia eius securi essent; ut habendae concionis δοκιμασιῶν facultas ei daretur, petierunt. Quod postquam aegerrime obtinuerant; habita illa concione, consul ciuitatis ciues templum intrare et ardentissimas ad Deum preces fundere iussit, quo ille virum monstraret, quem muneri isti admotum vellet. Instituta electione, multi quidem ciues, qui pastoris sui, Wolderi, et Mislentae partes tenebant, abalienato a Latermanno animo erant; praeter spem tamen per maiora trium ordinum vota templi Cathedralis diaconus electus est. Sed non diu in hac statione, aduersae partis studiis, mansit, et *Christophorus Schroeterus*, scholae veteris oppidi rector, anno clo 1547 die quarto mensis Maii in eius locum diaconus suffectus est p).

XI. Imperata sub initium anni clo 1547 a Serenissimo suo Electore, in Academia Regiomontana, Extraordinaria Theologiae professione, summos in Theologia honores Rostochii petuit Latermannus. Quo vbi venerat, et vix octiduum ibi exegerat, literae ex vtraque Borussia aduolabant, quibus nonnulli aditum ad hos honores magna animi contentione ei praeclusum ibant. Quum igitur Theologi Rostochienes Latermannum ad examen admitterent, id vnice egerunt, ut non solum in progressus eius in Theologia inquirerent, sed in primis etiam disputationem eius de praedestinatione examina-

B 3

rent,

p) Haec omnia ex LATERMANNI relatu narramus in dedications disquisitionis modo allegatae. Addatur Hartknoch l. c. §. 4. f. p. 608 sq.

rent, vt et alia, de quibus nonnulli dubitare videbantur, ipsi proponerent. Testibus theologis Rostochiensibus, Latermannus in omnibus ita fese gessit, vt hi, neminem theologorum nostratum eius declarationem improbaturum, considerent. Postquam igitur theologis Rostochiensibus eruditionem suam theologicam priuatim probauerat; in publicum cum produxerunt, vt specimen suorum in theologia profectum ederet. Iussus argumentum ea in primis aetate grauissimum de sacra coena elaborare, idque publice contra aliorum obiectiones defendere ac verba testamenti Christi ab omnibus corruptelis vindicare, *disputationem inauguralement de praesentia corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi in sanctissima eucharistia* conscripsit, eamque praefide IOHANNE COTHMANNO, Doctore et Professore theologo et facultatis suae Decano, die XVI Iunii a. clo lō c XLVI defendit, vt Calvinismi suspicionem a se amoueret. Inscriptis eam Electoris Brandenburgici supremis et ducatum Borussiae regentibus consiliariis, testatus in epistola dedicatoria, nunquam sine insigni delectatione recordationem effati prophetici animum eius subire: Diligite veritatem et pacem; et sancte pollicitus, se scientem a veritatis orbita non deflexurum, et pacem spiritus sancti ope adiutum sectaturum. Reducem Latermannum facultas theologica Rostochiensis regentibus in ducatu Borussiae consiliariis commendauit, qui anno clo lō c XLVIII diaconus aulicus euasit *q).* Ministerium autem Tripolitanum Regiomontanum facilitas theologorum Rostochiensium non parum offendit, qua in Latermanno minus orthodoxo ad capessendos summos in theologia honores admittendo *vsi sunt r).*

XII. Latermannus Rostochio reuersus et extraordinariam theologiae professionem in Academia Regiomontana a Serenissimo Electore anno clo lō c XLVII adeptus pro loco hoc obtinendo disputationem theologicam *de invocatione sanctorum contra Pontificios* publico eruditorum examini submisit, re-

q) v. LATERMANNI Disqu. de gratia et libero arbitrio in ep. dedicatoria: Hartz

Fnoch l. c. §. 5. p. 609. Programma Inaugurale p. 7.

r) v. Literae dicti ministerii exaratae ad collegia theologica in appendice p. 60. 65.

spondente *Iacobo Ebenretter*, Hilperhusano Franco, die quarto Ianuarii dicti anni in auditorio maiori horis ante et pomeridianis, quam Serenissimo suo Electori, *Friderico Wilhelmo*, inscripsit, et in qua se S. S. Theologiae Doctorandum vocauit. Ad eam placide impugnandam D. Mislenta inuitabatur. Quum enim Latermannum apud illustres Regentes capitalium et in Academia Regiomontana intolerabilium errorum reum fecisset; hic ab iis petiit, vt in publica disputatione horum legitime et sine acerbitate eum conuinceret. Quod vbi Mislenata a Regentibus iniunctum erat, aliquamdiu quidem tergiuersatus, tandem tamen die, disputationi dicta, comparuit, non tamen, quod Latermannus ei imputauit, tam disputandi, quam protestandi et litigandi animo. Testis enim est Latermannus, se quidem modestissime antagonistam inuitasse, per integrum tamen ferme bihorium frustra clamasse, nec vnicum, vt vt vel centies per Christum rogarit, argumentum impetrare potuisse. Donec tandem vnum ex praecipuae nobilitatis Borussicae viris, qui adfuerit, Mislenam, sibi adsidentem, ad proferendum argumentum adhortatus fuerit. Vnicum igitur argumentum, narrante Latermanno, in medium attulit, ad quod ille bis per instantiam, vt scholae loquuntur, semel per limitationem respondit. Durante hac disputatione, Latermannus non sine praesentissimo vitae periculo, ob quosdam haud obscure ad seditionem pronos, in cathedra constitutus fuisse fertur. Aliter autem rem gestam Mislenata narrat, conquestus, Dreierum se, adhuc in prologo versatum, contumeliosissimo atque acerbissimo hoc acclamatio-
nis genere lacerasse: *Tu Mislenata, fac syllogismum: non potes formare syllogismum: non didicisti facere syllogismum: garris instar vetulae s.* Itaque nec noua haec Latermannii disputatio optabilem exitum habuit. Publicos autem labores suos Academicos in frequentissima studiosorum corona his precibus se exorsum esse scribit: *Deus T. O. T. M. qui me in superiori Germania natum, in inferiori educatum et bonis studiis innu- tritum*

s) V. LATERMANNVS I. c. Gartfnoch I. c. §. 5. p. 608. sq.

tritum mirabiliter prorsus in hanc Prussicam terram duxisti,
qui me mirabiliter ecclesiae tuae gubernationi praefecisti, et
hunc in vinea tua locum adsignasti, qui me tot aduersitatibus
obnoxium et ab iis tantum non oppressum forti brachio tuo
sustentasti et eluctandi virtutem concessisti, ne finas me unquam
fieri vas irae et ignominiae, fac me vas misericordiae et honoris
tui et organon salutare mihi, et aliis hominibus, et dirige omnes
actiones meas unice in diuini tui nominis gloriam, ecclesiae aedi-
cationem, meam et multorum aliorum mortalium salutem. Ex-
audi has preces, aeterne pater, propter coeternum verbum,
filium tuum, dominum ac seruatorem nostrum Iesum Christum t).

XIII. Elapso, ut Latermannus refert, octiduo, libellus
famosus, studiosorum nomen prae se ferens, qui Latermannum
proscribere finguntur, in forma patente publice affixus est,
horrendis conuictis, grauissimis calumniis et atrocissimis iniuriis
adeo turgidus, ut orcus horridorem exspuere non potuerit.
Qui quidem non solum in Latermannum, verum etiam in eius
collegas iniurius erat. Eum perlectum Latermannus risu
exceptit, vehementer laetus, eum nihil quidquam continere,
cuius sibi conscientia fuerit u).

XIV. Post eam, quam modo recensuimus, disputationem,
conscriptam a se *disquisitionem theologicam de gratia et libero*
hominis arbitrio Latermannus typographo Regiomontano ex-
cludendam tradidit. Quod quum senatus Academicus compe-
risset et vereretur, ne nouus et maior motus fieret; operas
typographicas in excudenda disquisitione non solum cessare,
verum etiam plagulas iam excusas in scriniis Academiae adser-
uari iussit. Eas autem Latermanno, iter in Germaniam haben-
ti, D. Adamus Riccius, Rector Academiae Magnificus, reddi-
dit x). Rostochii igitur opus coeptum absoluit, et sic inscri-
ptum edidit: IOHANNIS LATERMANNI, S. S. *Theologiae*
Doctoris et in Academia Electorali Brandenburgica Regiomon-
tana

t) v. LATERMANNI *Declaratio apologetica in Dedic. Lit.* f 2.

u) v. LATERMANNVS l. c.

x) v. Hartknoch l. c. §. 5. p. 609.

tana Professoris publici, disquisitio theologica de gratia et
libero hominis arbitrio Regiomonti in Borussia primum excudi
coepit, post autem ob iter in Germaniam suscepit Rostochii
continuata, mense Iulio, anno clo 10 c XLVII. Inscriptis eam
theologis, qui in omnibus Germaniae, vicinorumque regno-
rum et prouinciarum Academiis ac praecipuis vrbibus inua-
riatam Augustanam Confessionem profitentur, et in hac epi-
stola dedicatoria pluribus enarrat, quid secum adhuc actum sit.

XV. In his, quas adhuc commemorauimus disputationi-
bus et disquisitione Latermann Ministerium Tripolitanum
varios errores obseruavit, eosque detexit in scripto, quod anno
clo 10 c XLVII lingua vernacula edidit et sic inscriptis: Verzeichniß
der vielfältigen und zwar groben und gefährlichen Irrthümer, welche
M. Johann Latermann in seinen disputationibus vertheidiget und
verfochten hat, samt einer gründlichen Widerlegung derselben. Erro-
res autem, quos Tripolitani Latermanno impegerunt, concer-
nebant doctrinam de viribus liberi arbitrii hominis post
lapsum ante conuersionem et in conuersione: de peccato ori-
ginis, num sit adaequata causa damnationis: de certitudine
salutis: de inaequali distributione gratiae Dei: de dupli-
theologiae principio, scriptura sacra et consensu antiquitatis:
de apparitionibus filii Dei in veteri testamento: de reuelatione
mysterii Trinitatis in veteri testamento: de necessitate bono-
rum operum: de autoritate formulae Concordiae: de scopo
Apostoli cap. IX. X. XI. epistolae ad Romanos: de moderatio-
ne modernorum Reformatorum et condemnatione eorum y).
Latermannus autem ab his erroribus immunem se esse pecu-
liaribus scriptis professus est. Edidit enim anno clo 10 c XLVII
Gründliche Ablehnung der vermeynten Irrthümer, so ihm von etli-
chen Predigern zu Königsberg aus seiner unter D. Johann Beh-
men von der Gnadenwahl gehaltenen disputation vorgeworfen wor-
den,

y) v. Hartknoch l. c. §. 6. Welch in der Einleitung der Religions-Streitigkeiten
in der evangelisch-lutherischen Kirchen l. c. §. 7. p. 247. sqq.

C

ben, nebst D. Jacobi Andreä Christlichen und heilsamen Bedencken,
auf was Weise Streitigkeiten, so unter einerley Glaubens-Genossen
entstanden, beyzulegen; sine mentione loci impressionis. Anno
clo Iō c XLVIII. Thorunii prodiit IOHANNIS LATERMANNI *Declaratio Apologetica*, qua se contra iniustas et importunas
quorundam accusationes tuetur, in qua controuersiae quae-
stiones de viribus liberi arbitrii; de conuersione hominis; de
Reformatis Dordracensibus; de Salmuriensibus et Bremensi-
bus; de Augustino, num primus absoluti decreti adsertor exte-
rit; de peccato originis, num adaequata damnationis causa
sit; de condemnatione Reformatorum; de certitudine salutis;
de apparitionibus Veteris Testamenti; de dupli principio;
de futura iudeorum conuersione; de iustificatione et bonis
operibus; de autoritate formulae concordiae; de scopo Apo-
stoli Rom. IX. X. XI. de laudibus Iac. Arminii; ventilantur ac
discutiuntur. z) Finem declarationi apologeticae verba Augu-
stini imponunt: *Senti de Augustino, quicquid libet, sola me
in oculis Dei conscientia non accusat.* Ad excusandum quoque
Latermannum pertinet *Iudicium de controuersia Pelagiana et
Synergistica* D. Martini Chemnitii in gratiam eorum, qui veri-
tatem et pacem amant, denuo in lucem productum a Iohanne
Behmio. Regiomonti anno clo Iō c XLVII. Huic iudicio annexa
est allocutio Iohannis Behmii ad cultores Theologiae, in qua
Latermannus Disquisitionem de gratia et libero hominis arbitrio
et disputationem de praedestinatione defendit. Addidit Later-
mannus quoque allocutionem ad studiosos Academiae Region-
montanae, in qua de D. Myslenta queritur, qui programma
contra eum affixerit, sibique disquisitionem suam confutandam
sumserit, eamque accuset, ac si Pelagianis et Synergisticis erro-
ribus scateat. Coram Dec autem publice testatur, summam
sibi fieri iniuriam, de qua responsuri sibi sint, quicunque fue-
rint, ante tribunal Iesu Christi, ad quem, tanquam iustissimum
iudicem et καρδιογνώσην, introspicientem penitus abditos homi-
num

z) v. Walch I. c. p. 247 sqq.

num recessus, Latermannus prouocat. Animo quidem satis inconsiderato et vindictae cupido, qui alienus a theologo christiano esse debebat.

XVI. Diffensione Theologorum Regiomontanorum indies magis gliscente, vtraque pars exterorum theologorum de hac controuersia iudicium exposcebat et impetrabat. Exarauerat Ministerium Tripolitanum literas ad collegia theologica in Academiis et Ministeriis quibusdam, pro impetrandis censuris super dissertatione Latermannii de praedestinatione, aliisque eius placitis, scriptas anno clo clo c XLVII et Gedani anno clo clo c XLVIII typis exscriptas. Eas igitur impetratas sub hoc titulo edidit: *Censurae theologorum orthodoxorum, quibus errores varii, iisque periculosi, utpote in scripturam sacram ac libellos symbolicos ecclesiarum inuariatae Augustanae Confessionis impingentes, autore D. Iohanne Latermanno tum in exercitatione de praedestinatione in Academia Regiomontana, tum alibi distinctis velitationibus propugnati, examinantur et damnantur.* Dantisci anno clo clo c XLVIII. Theologi orthodoxi, a quibus censurae hae profectae sunt, fuere Facultas theologica Vitembergensis, Ienensis, Lipsiensis, Rostochiensis et Argentoratenensis, Ministerium Dantiscanum, Hamburgense et Tremonianum, Michael Waltherus, Iustus Feurbornius, Paulus Roeberus, Iohannes Botsaccus, Wilhelmus Lyserus, Iohannes Hüllemannus, Iohannes Müllerus, Iodocus Capellus, Godofridus Cundisius, Abrahamus Battus, Abrahamus Calouius, Iohannes Quistorpius, Iohannes Cothmannus, Iacobus Wellerus, Iohannes Georgius Dorscheus. Ibidem separatum Censura Argentoratenensis excusa est, sic inscripta: *Ad plurimum Reuerendos, Clarissimos et Excellentissimos viros, ecclesiarum Tripolitanarum in Regiomonte antistites grauissimos, in causa M. Iohannis Latermannii, Coburgo-Franci, responsum Collegii Facultatis theologicae in Vniuersitate Argentoratensi. Responsum Argentoratense denuo Argentorati a. clo clo c L exscriptum est, sic inscriptum: Iudicium collegii theologici vniuersitatis Argentoratensis.*

ueritatis Argentoratensis super disputatis et actitatis in Academia Regiomontana a IOHANNE LATERMANNO, S.S. Theol. studioſo, petente Reuerendo ministerio Tripolitano, latum anno clo 10 c XLVI nunc publicae luci ab iis, qui id tulerunt, datum. Apologiam huius iudicij eodem anno IOHANNES GEORGIVS DORSCHEVS scripsit et solennis disputationis loco sub eius praesidio defendit M. Gabriel Eluering contra Iuliani alicuius antecessoris dissertationes. Has censuras, quae orthodoxiae Latermannii fraudi erant, excipiebant: *Celeberrimorum theologorum iudicia et censurae pro orthodoxia Iohannis Latermannii, S. S. Theol. D. et eiusdem in Academia Electorali Regiomontana Borussorum Professoris publici, speciminis loco editae, et censuris atque epistolis illis a D. Coelestino Myslenta euulgatis oppositae.* Prodierunt Halberstadii anno clo 10 c XLVIII. cura parentis Latermannii, M. Wolfgangi Latermannii, qui tum erat Quedlinburgensis ministerii symmysta et senior. Celeberrimi theologi, quorum iudicia hic leguntur, sunt Regiomontani, Iohannes Cothmannus, Rostochienses, Melchior Nicolai, Iohannes Valentinus Andreae, Ienenses, Iohannes Hülsemannus, Ioachimus Lütkemannus, Iohannes Quistorpius, Georgius Calixtus, Conradus Horneius, Iohannes Reinboth, Iohannes Henichius, Iohannes Kufner et quidam anonymi. Imo Iohannes Latermannus eiusque complices aduersus censuras theologorum orthodoxorum insurrexerunt et *Censuram censorarum* in vulgus sparserunt, qua iudicia theologorum eleuare, extenuare et in vilipendium adducere non exhorruerunt a). Quibus quidem scriptis a Ministerio Tripolitano opposita est: *Anticrisis, sive Confutatio iudiciorum, a Latermannii errorum complicibus, ut pote D. Michaele Behmio, D. Christiano Dreiero, nec non ipso D. Latermanno, sine iudico editorum etc.* Gedani anno clo 10 c XLIX. In qua Anticrisi quum theologi quoque Helmstadienses, Georgius Calixtus et Conradus Horneius, male audirent;

a) v. *Anticrisis* p. 4. Censuram censorarum Michaelem Behmum scripsisse Hartmannum l. c. §. 7. p. 613. narrat.

rent; instigantibus Michaele Behmio, Christiano Dreiero et Iohanne Latermanno, programmate aculeato Anticrisis flagellarunt. Quid? quod Anticrisis Latermannum et par nobile fratribus eius, scilicet moderatorum, ita pupugit, ut in literis ad theologos Helmstadienses die 1 Martii clo 10 cXLIX datis auctores iis fuerint, ut omnem mouerent lapidem, ut iussu Principum suorum in omnibus tribus eorum ducatibus per carnificem publice combureretur b). Aculeato autem Helmstadiensium programmati Ministerium Tripolitanum opposuit: *Fulmen brutum in librum orthodoxum Anticriseos a D. Calixto et D. Horneio programmate in vulgo sparso vibratum, feliciter vero elatum, dissipatum ac in auras dispersum opera Ministerii Tripolitani.* Dantisci anno clo 10 cXLIX. Fulmini huic bruto subiunctum est apographum literarum theologorum Regiomontanorum ad theologos Helmstadienses exaratarum cum notis animaduersoriis Ministerii Tripolitani super has literas c). Quod etiam hoc ipso anno euulgauit: *Catechismus Examen in hochwichtigen Glaubens-Artickeln, von einem einfältigen Catechismus-Layen mit Herrn Doctor Latermann und seinem Anhang, nach Anweisung eines und des andern richtigen Catechismus Predicers in Königsberg, angestellet.* Cui scripto euulgando Iohannes Latermannus ansam praebuit, qui sub initium anni clo 10 cXLIX Regiomonti recudi curauit: D. Jacobi Andreae wohig gründetes Urtheil von zweyen nachfolgenden Fragen, erstlich: ob auch einem einfältigen Christen einiges Urtheil in Religions-Streitigkeiten zu komme, wie weit sich dasselbe erstrecke, und was eines solchen gemeinen Layen Richtschnur, die Wahrheit von falscher Lehre zu unterscheiden, seyn soll? Zum andern: Wobey man einen rechtgläubigen der ungeänderten Augspurgischen Confession unzweifelhaft zugethanen Lehrer erkennen könne?

C 3

XVII.

- b) Leguntur hae literae christianis theologis minus dignae in Fulmine Bruto Lit.
C. 3. Addantur notae animaduersoriae Minist. Trip. p. 36. sqq.
c) v. Walch l. c. p. 252 sqq. Hartnoch l. c. §. 13. p. 621.

XVII. Postquam Iohannes Latermannus per sexennium recedendo a forma sanorum verborum Academiam et ecclesiam Regiomontanam non parum turbauerat, et Decani facultatis theologiae munus anno cl^o l^o c^lLI obierat; vale neque Academiae, neque ecclesiae Regiomontanae dicto, a. cl^o l^o c^lLII Halberstadium abiit, graue Ephori Generalis munus in hoc principatu suscep^tturus d). Quam spartam gratulatus ei est M. Guilielmus Breuer, Quedlinburgensis, scholae patriae Conrector, in *euonymia* ad eum carmine heroico scripta. Inuitis autem pastoribus huius principatus virum de heterodoxia merito suspectum praesulem esse obtrusum, inter omnes constat e). Quid boni in hac statione egerit, incognitum nobis est. Illud autem proh dolor! relatum legimus, eum ob fidem matrimonii violatam allatamque hoc crimine ecclesiae offensionem, a munere suo remotum, pastorem castrensem egisse et infra Vindobonam Austriae calculo extinctum esse anno circiter cl^o l^o c^lLXII f). Nolumus, interdicente id nobis Christo, iudicare. Sed tamen iusto iudicio diuino accidisse videtur, vt is, qui veram doctrinam adulterauit, postea adulterium commiserit, et amplissima sua dignitate indignum se reddiderit.

XVIII. Vxorem duxit *Mariam*, D. Iohannis Behmii, Professoris theologiae Regiomonti celeberrimi, filiam, anno cl^o l^o c^lLVII. quae illi filium et sex filias peperit. Aduersa plura ex coniugio et prole perpessa et egestate vexata, tandem Regiomonti a fratre Bartholomaeo Behmio, dicasterii aulici assessore, in aedes recepta et anno cl^o l^o CLXX mortua est g).

XIX.

- a) v. Erläutertes Preussen Tom. 4 p. 349. Dan. Heinr. Arnolds Ausführliche und mit Urkunden versehene Historie der Königsbergischen Universität P. 2. p. 203. sq.
e) Vide Consilia theologica Wittebergenia P. I. p. 911 sq. vbi clerus Halberstadiensis theologos Wittebergenses consuluit, num iis invitatis obtrudi queat.
f) v. IOH. FABRICII historia bibliothecae suae P. IV. p. 312. Joh. Georg Walp
1. c. P. I. p. 222. IV. p. 673.
g) vide Programma funebre.

XIX. Elogium merito maius Iohanni Latermanno nostro
tribuit ZACHARIAS PRÜSCHENCKIVS, inter illustres supe-
rioris seculi viros non insimus, qui principis locum in ducatu
Isenacensi eo tempore tenuit. In epistola enim ad eum data
scribit, eum magno Calixto carum semper fuisse caput, melio-
rem ac saniorem Borussiae partem eum per aliquot iam annos
vidisse, sensisse et probauisse doctum, pium et in mitigando re-
ligionis odio cordatum pariter ac moderatum, fidei denique
fundamentalium adsertorem maxime strenuum *b*). Doctrinae
quidem laudem, in primis antiquitatis ecclesiasticae non me-
diocrem cognitionem, nemo ei dubiam faciet, verum eam
heterodoxia sua turpauit. Vitembergenses enim theologi de-
monstrarunt, Iohannem Latermannum ab inuariata Augustana
Confessione saepius defecisse et omnes ferme fidei articulos,
quos illa continet, corrupisse *i*). Illud saltem certum esse
nouimus, Latermannum, e schola Georgii Calixti prodeuntem,
vestigiis praceptoris sui institisse et Syncretismi labe fuisse in-
fectum *k*). Rectius igitur de eo THOMAS CRENIUS iudicasse
videtur, virum fuisse scribens, forma, quam mente meliorem *l*).

XX. Scriptis eius, quae iam in enarrandis eius fatis com-
memorauimus, adhuc sequentia accensentur:

I. GEORGII CASSANDRI Tractatus de officio pii viri
in hoc ecclesiae vniuersae, occidentalis in primis, dissidio, cum

pra-

b) V. BVRC. GOTTH. STRV VII Acta Literaria e MSS. eruta Fasc. V. p. 50.

i) v. Consilia Vitembergensia theologica P. I. p. 902 - 911.

k) Pluribus hoc docet Abraham Calov in der erbärmlichen Verstockung des
neuen Calixtinischen Schwärmer, Johann Latermanns, und seines Beystands
D. Dreyers, in ihrer Päpst-Calvinischer Brüderschaft und Syncretisterey. Witten-
berg 1651. IPSE GODOFREDVS ARNOLDVS, communis omnium heterodoxorum
patronus, Iohannem Latermannum in Syncretistarum eius aetatis numerum
refert in der Unpartheiischen Kirchen- und Rezefterhistorie P. II. lib. 17. c. 11. §. 17. add.
Celeberr. D. WALCHII Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der Evangelisch-
Lutherischen Kirchen P. I. c. 4. §. 8. p. 422.

l) In animaduersionibus philolog. et historicis P. XIV. p. 45.

D

praefatione *Iohanni Latermann*, in qua breuiter ostenditur, quanti moderatum Cassandri de controuersis religionis iudicium, ac indefessum in restauranda concordia ecclesiastica studium, et summi imperatores, et magni magnorum regum consiliarii et theologi denique tum Protestantes, tum Pontificii fecerint. Accesserunt eiusdem breues et succinctae notae ad tractatum Cassandri. Regiomonti 1650. 4. m)

2. *Johann Latermanns Apostolische Vermahnung zu christlicher der göttlichen seligmachenden Wahrheit unnochttheiliger Einträchtigkeit, an die so iämmerlich getrennte Christenheit gerichtet, Königsberg 1650. 4. n)*

3. Gründlichen Berichts von Fundament und Grund der ewigen Seligkeit erster Theil, darinnen aus Gottes Wort und der allgemeinen heiligen christlichen Kirchen übereinstimmender Uebung, Lehre und Bekanntniß, aus den Zeugnissen der heiligen Märterer und uralten Kirchen-Lehrer, wie auch aus der neuen rechfgläubigen Theologen Schriften, mit Fleiß dargethan und erwiesen wird, welches dasselbe Fundament sey, und worin es bestehet, zu Beförderung der Wahrheit und des Friedens, verfertigt durch *Johann Latermann*, der heiligen Schrift Doctorn und auf der Universität Königsberg Professor, ieziger Zeit der theologischen Facultät Decanum, auch Churfürl. Brandenb. Pr. Hofprediger daselbst. Elbing 1651. 4. o) Tomus secundus, quantum nouimus, non prodiit.

4. s. *AVGVSTINI* duo ad pietatem et seriam poenitentiam recte tum docendam, tum agendam vtilissimi tractatus, alter *de medicina poenitentiae*, huiusque triplici genere, quod discrimen hodie in primis obseruatu summe necessarium est, alter *de vere poenitentibus*, eorumque, qui in exitu vitae constituti sunt, periculosa resipiscientia, editi atque ex scriptura, ipso Augustino aliisque antiquis Patribus, vt et recentioribus quibusdam theologis, paulo prolixioribus notis, doctrinae de

poeni-

m) v. D. WALCHI Bibliotheca theologica selecta Tom. II. cap. 5. §. 17. p. 676.

n) v. WALCHIVS I. c.

o) v. WALCHIVS I. c. p. 676. sq. item ejus Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evangelisch-Lutherischen Kirche P. IV. cap. 4. §. 65. p. 792. sqq.

poenitentia haut exiguum lucem foenerantibus, pio studio illustrati a IOHANNE LATERMANNO, S. S. Theol. D. Sereniss. Elect. Brandenb. in Dioceſi Prouinciaque Halberstadiensi Superintendente Generali et Consiliario Ecclesiastico. Francofurti 1652. 4.


5. Ritus Confirmationis, d. i. kurzer Unterricht von der uralten und höchst erbaulichen Kirchen-Ceremonie, die Christliche Confirmation genannt, dadurch die Jugend, ehe man dieselbe erstmals zum heiligen Abendmahl zuläßet, nach vorhergegangener gnugsamer Unterrichtung, den Christlichen Gemeinen iedes Orts öffentlich vorgestellet wird, da-
bey vor dem Altar ihres Christlichen Glaubens und Religion aus dem Catechismo gute Rechenschaft giebt, das hohe und theuere Taufgelübde wiederholet und erneuert, und darauf durch das Gebet der Christlichen Kirchen, mit Auflegen der Hände, im Christenthum nochmals confir-
miret und bestätiget wird, samt angehängten Catechismus-Fragen,
welche sowol bey der Firmung, als sonst auch bey der Catechismus-
Übung nützlich können gebrauchet werden, durch Johann Later-
mann, der heiligen Schrift Doctorn, Churfürstl. Brandenburg. Con-
fessorial-Rath und General-Superintendenten im Fürstenthum Hal-
berstadt, auch Pfarrern zu Dernburg. Halberstadt 1654. 4.

XXI. Atque haec de Iohanne Latermanno, Coburgo-Franco, protulisse sufficient, cuius memoriam minus faustum esse, dole-
mus. Magis autem faustum eius memoriam fore speramus,
imo confidimus, quem itidem Coburgo-Francum esse noui-
mus, Viri Maxime Reuerendi atque Doctissimi, M. ERHAR-
DI ANDREAE FROMMANNI. Sacro munere in
nostro agro aliquot annos non sine laude functus, et ante quin-
quennium in ordinem Professorum Gymnasii nostri Casimiri-
ani cooptatus est, ad linguas orientales et graecam docendas.
Hanc, quam nactus est, spartam ornauit, et in mandato etiam
sibi Paedagogiarchae munere officio suo non defuit. Post-
quam igitur Vir Summe Reuerendus et Excellentissimus, Iohan-
nes Andreas Buttstett, sub finem superioris anni, Directoris
nostri Gymnasii munere abiit, et Professoris Theologiae munus

Erlangae suscepit, illustre Scholarcharum Collegium eum
Serenissimo nostro Principi ac Domino, Domino FRANCIS-
CO IOSIAE, Duci Saxoniae, Iuliae, Cliviae, Montium,
Angariae et Westphaliae, ac reliqua, nutritio Gymnassi nostri
Clementissimo, successorem illius commendauit. Huius igitur
iussu Directoris honores ei sunt decreti, quorum significatio-
nem publicam pro more faciendam putauit. Grauis huius mune-
ris functio, me interprete, ei mandabitur, habita in Gymnasi
nostri auditorio publico crastina luce hora antemeridiana VIII.
oratiuncula de cultura iuuenilium ingeniorum, idoneis scholarum
magistris demandanda. Ad quam solennitatem *Serenissi-*
mum patriae Patrem, Principem heredem, reliquos iuuentutis
Principes, aulae ac reipublicae proceres, illustres Scholarchas,
reuerendos ecclesiae ministros, clarissimos Gymnassi Professores,
omnesque literarum fautores, ea, qua decet, animi submissione,
obseruantia ac humanitate inuito, Ciues autem Casimirianos
utriusque coetus frequentes adesse iubeo. Quemadmodum
autem certissima me spes tenet, nouum Gymnasi Casimiria-
ni Directorem, quod munus a Domino accepit, id impletum
rum; ita Deum supplex precor, vt incrementum et pristinum
illustris huius scholae florem laborum eius et vigiliarum mer-
cedem esse iubeat. P. P. Dominica Reminiscere, quae
erat d. VII. mensis Martii cl^o cc LXII.







fatus illis Marianorum ignibus, cœlum adisse, invitus
acobe Auguste Thuane, (nulos huic nomini titulos ad-
scendit) & hanc mentem num in mortis etiam servarit
ac panegyri edisse. Ita verò hic (*f*) ultima Caroli
aſiſt: Nulla re magis Carolus animi magnitudinem,
ausula, quā Vir, alios vincere aſvetus, ſeipſum vicit, vitæ-
xiæ, jam potiorem mente agitans, antequam moreretur,
publicæ vixerat, ſibi, ac Dō cœpit vivere. Itaque toto
in præceſſit, in Hieronymianorum fratribus ſodalitio,
intinō quōdam, qui ei à ſacrī confessionibus erat, præ-
tratis lectione ſe ſolabatur, & toto pectore in Deum re-
etur: ſe quidem indignum eſſe, qui propriis meritis re-
uerteret, ſed Dominum Deum ſuum, qui illud dupli ci jure
reditate, & Paſſioni merito, altero contentum eſſe, al-
tujuſ donō illud ſibi merito vindicet, hācque fiduciā fre-
batur: neque enim oleum misericordiæ, niſi in vase fi-
minis fiduciam eſſe à ſe deficiens & innitentis domi-
priis meritis fidere, non fidei, ſed perfidiæ eſſe: peccata
entiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non
ſoli peccavimus, & in quem peccatum non cadit: per
ticta condonantur.

ad lentam tabem febris acuta accessiſſet, imaginem
tntidem in oculis, ulnis, ore & totā mente complexus,
ſalutis ſuæ ſpem collocare declaravit; ſumtoque viati-
t, dulcissime Servator, ut ego in te maneam: in quæ
m glorioſiſſima hīc vita defunctam DEO, qui dederat
enī Thuanus. Non abſque lato pietatis ſenu hæc
res; Si hoc enim non eſt erroribus renunciare papaxis,
gelicā, nescio quidſit. Revocant in memoriam, (quod
onēndum duco) hæc ultima Glorioſiſſimi Imperatoris
e, & vitæ valedixit officiis, *Mane in me dulcissime Serva-*
am, recentem aut antiquum (de cuius canitie me mo-
Creaturarum Domine Mancipium. Hoc eft: *Modus*
in Mancipium. *Multis ante ſeculis sancte in Ecclesia*
in Italia & Germania evulgatus, unde verò paulo fu-
rā & ſtudio Sodalium B. V. Colaniensium apud RR.

Patres

ib. XXI. Histor. fol. 428. 429.